



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus XXX. De Officio Legati.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62620)

variores, contra §. *Ne aliquis* cit. textum, personas existentes extra civitatem vel diocesim, in qua pro Regularium tuitione deputati sunt, ad iudicium suum trahere valent: dummodo eas non trahant ultra duas dietas, *Constit. cit.*

Quintò, eorundem Mendicantium Conservatores, tam quoad presentia & jam capta, quàm quoad nondum capta & futura negotia perpetuam habent potestatem & jurisdictionem; ut contra, quàm c. *fin. §. Officium* cit. Statutum est, concedentis morte eorum iudicium, etiam quoad non capta negotia, non expiret, *Constit. cit.*

109. Cum speciali hoc Conservatorum, à Mendicantium Ordinibus assumptorum, iure non satis convenit; ei tamen nihil

officit decretum Concilii Tridentini *Sess. 14. cap. 5. de Ref.* cum; quia Gregorii Constitutio decretò illò Synodali posterior est: tum verò; quia istò Conservatores & literas Conservatorias Universitatum & Regularium non comprehendit, disertè habetur *cap. 5. cit. in fine.*

Postea tamen Gregorianæ illi alia **IIO.** rùmque, in Regularium favorem antè editarum, Constitutionum Apostolicarum dispositioni speciali multum derogatum est à Gregorio XV. *Constitut.* quæ incipit *Sanctissimus 20. Septemb. 1621. publicatâ,* cujus tenorem refert Barbosa *alleg. cit. n. 55.* eaque proditi, hodièque observandi Juris Conservatorum latam explicationem dat Pellizar. *Manual. Regular. cap. 8. à n. 81.*



## TITVLVS XXX.

### De Officio Legati.

#### SUMMARIUM.

1. Legati Apostolici quidam Iudices,
2. Alii non - Iudices sunt.
3. Iudices vel à Latere,
4. Vel Nati,
5. Vel Missi, simpliciter vel cum potestate Legati à Latere:
6. Et omnes tres Provinciarum suarum Ordinarii sunt.
7. Inter eos eminent Legati à latere:
8. Qui jurisdictionem habent in Exemptos:
9. Absolvunt à Canonis,
10. Et aliis excommunicationibus reservatis:
11. Cum Ordinariis concurrunt in collatione beneficiorum,
12. Nisi ista ad Ordinarios devoluta ab exemptis,
13. Electiva, Juris patronatus laicalis ex fundatione,
14. Vel litigiosa sint.
15. Monocularia conferunt perinde, ut alia:
16. Licet in provincia sua non existant.
17. Non tamen conferunt extranea, licet collatio ad Provinciales:
18. Provincialia conferunt, licet collatio ad extraneos spectet.
19. Legatis non currit tempus ad conferendum:
20. Et ser.

Ll ll ;

20. Et ser.



20. *Et servanda non semper sunt qualitates beneficiorum annexa.*
21. *Non valet eorum collatio reticenti beneficium obtentum.*
22. *Nisi Motu proprio sit facta.*
23. *Modernò Jure non creant canonici cum supernumerarium.*
24. *Neque cum Ordinariis collatoribus in Germania concurrunt.*
25. *Beneficia antiquò Jure suæ collationi reservabantur.*
26. *Cum aliqua tamen restrictione.*
27. *Modernò Jure ea reservatio sublata est.*
28. *Beneficia ad trimestre commendare.*
29. *Eorumque resignationes simplices & ex causa permutationis admittere valent.*
30. *Et in reliqua potestate cum Ordinariis concurrunt.*
31. *Potestas Legati Nati.*
32. *Et Missi simpliciter.*
33. *Vel cum potestate Legati à latere.*
34. *Probanda legatio est à Misso.*
35. *Non etiam ab à latere Legato.*
36. *Nisi potestate extraordinariâ utatur.*
37. *Modi, quibus eorum officium exprimat.*
38. *Missò secundò, non eò ipsò primò revocatur.*

I. **Q**uantumvis, sicut Delegati, alterius vices gerant, Provinciarum tamen suarum Ordinarii iudices sunt, de quibus hic sermo est, Legati. c. Legatos 2. in 6. & quia supremi Ecclesie Capitis vice & autoritate Apostolicâ funguntur, c. 1. in fine, propriis & perpetuis locorum Ordinariis majores sunt, Panormit. in c. cit. n. 2.

Legati ergò, in Rubricâ nostrâ sensu, generatim dicuntur, qui à sede Apo-

stolica ad certam civitatem vel provinciam gubernandam cum jurisdictione Ordinaria mittuntur, ut ex c. Legatos cit. cum aliis DD. desumit Barbosa Jur. Eccles. lib. 1. cap. 5. n. 1. ita eos dicitur ab aliis ejusdem summe sedis legatis, qui non ad provinciam gubernandam, sed ad negotium duntaxat cum Principe, vel Republica aliqua tractandum, aut cum aliquo ministerio, ac prout de iure judiciaria potestate mittuntur: eorum istam perinde, ut ceterorum Principum, Rerumque publicarum & ipsorum hostium legati, Jure Gentium sancti & ab omni iniuria servandi sint immunes, can. Jus Gentium 9. dist. 1. & l. in fine de Legationibus: eosque legatione impediens, ab Ecclesie liminibus & fœderis communione arceri olim tubercant, can. Si quis 2. dist. 94. Hodie verb. ut provinciam, ad quam destinati sunt, ingredi, in eaque suæ legationis officium exercere, præsertim vi aliqua ipsius prohibentes, ipsò factò incurramus excommunicationem, infidelitatem Extraneæ, Unica inter com. de Consuet. & Bullarum can. 11. Sylvester V. Delegatus n. 11. & Molina tract. 5. de l. & l. dist. 9. n. 1.

Legatorum, cum jurisdictione provinciarum gubernantium, tres species, videlicet à Latere, Nati, & Missi, c. Extraneis 9. & c. 1. in 6. textibus, à Glossa in c. 1. cit. V. Legati, Panormit. in c. Extraneis communicati cit. n. 3. & DD. aliis passim referuntur.

A latere legati, licet alii quoque esse possint & olim fuerint, modernò tamen & perantiquò Ecclesie usui tantum sunt & vocantur, qui Cardinalitatis dignitate præfulgent; cum enim S. R. E. Cardinales ex officio suo Summo Pontifici in consiliis & arduis negotiis semper & specialiter assistant, & propterea pars corporis eius esse dicantur can. Si quis 2. pr. l. 9. l. 1. &



q. 1. § 1. *Quisquis* 5. pr. C. Ad L. Jul. *Majest.* quicumque dignitate illà conspicui Legationis Apostolicæ munere funguntur, Papæ à latere legati nuncupantur, arg. can. *Decretos, can. Si quis Episcopus* 2. q. 6. Speculat. *Tit. de Legato* §. 3. n. 2. Boërius de *Potestat. Legati à latere* n. 12. & Barbosa *cit. cap. 5. n. 3.* cujusmodi Legati plures interfuere S. & Oecumenico Concilio Tridentino, & ad Imperatorem ac Reges destinari aliquando solent.

4. Nati dicuntur, qui legationis munus annexum habent suæ Ecclesiæ, vel Prælatu- ræ, scilicet dignitati Archiepiscopali: cujusmodi Legati in Germania, olim Magdeburgensis, hodie Salisburgensis, in Gallia Rhemenfis, in Hispania Toletanus, in Italia Pisanus, in Anglia Cantuariensis, in Ungaria Strigoniensis, in Bohemia Pragenfis, in Polonia Gnesnensis Archiepiscopi sunt, Azor p. 2. *Instit. lib. 5. cap. 27. q. 1.* Et Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 2.*

5. Legati denique Missi, sive constituti, & ut vulgò appellari solent, Nuncii Apostolici, dicuntur Prælati, & alii clerici Cardinalibus inferiores, à Papa ad legationis munus in provincia aliqua obeundum deputati, can. 1. *dist. 94.* quales hodie Venetiis, Neapoli, Colonia, Lucerna, & alibi solent residere. Horum facultatibus clausula, *Cum potestate legati à latere* aliquando, & de stylo curiæ adjici potissimum consuevit mandatis legatorum, qui legationis munus vivæ vocis oraculo receperunt, *cit. Speculat. n. 2.* & Barbosa *n. 5.*

Quantumvis autem ad Missi legati sive Nuncii Apostolici munus assumi possint quicumque capellani & alii clerici in Curia, imò & extra hanc existentes, atque etiam Regulares, exemplò S. Indiarum Apostoli Francisci Xaverii, qui quatuor diplomatis, 27. Julii, 2. Augusti &

4. Octobris 1540. expeditis, munitis & cum amplissima potestate ad conservandam in Oriente propagandamque Religionem Sacrosanctam Apostolicus Nuntius constitutus, Ulyssipone eodem anno in Indias solvit, apud Danielè Bartoli illius *Vita Lib. 1. n. 13.* ordinariè tamen solummodo assumuntur, prælati Papæ valde noti ac familiares, quique in semetipsis habent spiritum Dei, claritatem legis & scientiam; ut per eos repræsentetur Auctoritas Apostolica, & possint erudiri fideles, ad quos mittuntur, ut loquantur SS. Ecclesiæ Doctores Gregorius & Hieronymus, relati can. 1. *dist. 94. § can. Si ergo 16. in fine 8. q. 1.* Barbosa *cit. cap. 5. n. 13.*

6. Omnes isti legati summi Pontificis vices gerunt in provinciis suæ legationis, c. 1. *hic § c. Mandata 6. de Presumpt.* in iisque vi sui muneris & jurisdictionis Ordinariæ regulariter possunt, quæ Episcopus aut Archiepiscopus in sua dicecesi, ut colligitur, ex c. *Legatos cit.* scilicet reformare mores, vitia corrigere, salutaria inducere ac promovere, condere statuta, duratura etiam depositò officio legationis, pravas consuetudines cum tempore indutas, & aliquando etiam statuta ab antecessoribus lata revocare, per text. aut arg. c. *fin. § c. Legatos cit.* audire etiam causas subditorum Provincialium, *cit. c. 1.* etsi post Concilium Tridentinum non nisi per appellationem à sententia definitiva, aut istius vim habente, & cujus gravamen per appellationem à definitiva nequit reparari: vel nisi dicecesium Ordinarii intra biennium, à die motæ litis, illarum decisionem negligant, ut habetur, *Sess. 24. cap. 20. de Reformat.*

7. Inter eos autem Legatum à latere, sicut excellentiâ dignitatis, sic etiam potestate multum eminere, patet imprimis ex c. 1. *in 6.* Deinde ex insignibus Apostolicæ



Relicæ dignitatis, *c. Antiqua 23. de Privileg.* quæ sunt vestis purpurea cum veste lineæ, sive byssina superiore, Palafredus sive equus albus phaleratus, frænum & calcæria deaurata, ut in *c. cit.* notant Hoflien. *n. 12. Ant. de Butrio n. 10. & Panormit. n. 4. &c.* quibus à latere Legatus hodie utitur, quamprimum egreditur territorium civitatis, residentie Papalis, cum Jure æquiparetur Proconsuli *c. Legatos 2. ibi. Ad instar Proconsulum in 6. qui, cum imperio in provinciam iturus, simul atque ex Urbe egressus est, fascibus & insignibus Proconsularibus utebatur, l. 1. ff. de Officio Proconsul. Cum iis etiã insignium ornamenti civitates & oppida processionaliter, clerò & populo solenniter deducente, sub pallio sive Baldechino ingreditur, Flamin. de Resignat. lib. 7. q. 13. n. 7. & *cit.* Barbosa *n. 18. & 21.* Demum etiam ex eo; quòd, illò præsentè, cæteri legati tam Nati quàm Missi, etiam cum potestate Legati à latere Cruce, quæ ante ipsos deferri solet, & aliis suæ legationis insignibus, ac potestate non utantur, *c. Volentes 8.* quæ proinde, ob reverentiam sedis Apostolicæ, quam legatus à latere assumptus speciali modò & propinquius repræsentat, etsi non expiret, tamen quamdiu legatus Cardinalis præsens est, quoad exercitium suspenditur; nec contentiosam, nec voluntariam jurisdictionem valeant exercere, per *c. cit.* textum, Glossam *V. Latere nostro*, & Panormit. *num. 4.**

8. Ob eandem potestatis excellentiam legatus à latere Primò ipsò Jure habet jurisdictionem ordinariam in Exemptos, & sedi Apostolicæ immediatè subjectos, exceptis casibus huic specialiter reservatis, Glossa in *c. 1. V. Universas*, Panormit. *ibid. n. 8.* & Cochier de Jurisd. Ord. in exempt. p. 2. q. 2. n. 7. ita ut Archi- & Episcoporum atq; Abbatum exemptorū

electiones confirmare, *c. Si Abbatum*, §. *fin. de Elect. in 6.* si eorum electionum confirmatio, ut hodie Archi- & Episcoporum plerorumque, & fere Abbatum Principum in Germania, per Concorde, Papæ specialiter reservata non sit: & de eorum causis cognoscere possit, Glossa *cit.*, §. *c. 1. de V. S. in 6.* quæ aliis legatis vi officii sui, & sine speciali commissione non competunt, §. *fin. & c. 1. cit.* Ratio est; quia per obtentum à sede Apostolica privilegium exemptionis à jurisdictione cujuslibet Ordinarii, à legatis à latere potestate eximi non videntur, ut Joan. Monachus apud Navarrum de *Devis & promiss. Notab. 4. n. 10. V. Secunda & cit. Cochier n. 8.*

Secundò, à die egressus sui ex Urbibus usque ad diem reditus in eandem, absolute vere potest quoscunque, ob clericali alterius personæ Ecclesiastica personam, etiam enormem, excommunicationem, etiam enormem, excommunicationem, sive subditi, hoc est, de provinciâ, ad quam legatus est, sive extraneam, *Quoad translationem 4. c. Excommunicatus 9. hic & c. Ad eminentiam 20. de Sent. excom. idque non solum ob summam sedis, cujus vicem gerit, reverentiam, sed ob favorem etiam animarum; ut moræ periculum vitetur, Glossa in *c. Excommunicatus, cit. V. Mitimus*. Alii alii tamen excommunicationibus cum absolvi sine speciali commissione possunt, cum Panormit. in *c. cit. n. 4.* negant; Molina *cit. disp. 9. n. 4.* & Laiman in *c. cit. n. 1.* quòd id Jure expressum non reprobatur: in exorbitantibus autem, & prohibitis, ut est à reservata excommunicatione absolutio, ab expressa concessione unius non valeat argumentum ad alias: imò illius expressione, quoad alias non expressas, dispositio & Regula generalis in contrarium potius firmetur, arg. *l. Quæstio 12. §. 43. ff. de Fwido inst. n. 1.* Contra*



10. Contrarium tamen, & ab aliis etiam excommunicationibus reservatis absolvendi potestatem, saltem si constitutio eam à nullo alio, quàm Papa absolvi posse, expressè non dicat, à latere legatis competere, existimant Azor *cit. cap. 32. q. 6.* & alii DD. licèt non omnibus benè allegatis, Barbola *in c. ad Eminentiam cit. n. 3.* id ex istius textùs generali decisione desumentes.
11. Tertio, circa beneficiorum Ecclesiasticorum collationem, institutionem & cum quolibet Ordinario suæ provincie concurrat, *c. 1. §. c. Presenti 3. in 6.* ut inter eos locus sit præventioni, & legati collatio præferatur collationi Ordinarii vel alterius collatoris, si utraque eodem tempore sit facta, *c. Si à sede 31. de Præbend. in 6.* etiamsi beneficia juris Patronatùs Ecclesiastici, *c. Dilectus 6.* aut propter inferiorum Collatorum, Electorum, Patronorum negligentiam ad Episcopum vel Papam sint devoluta, *c. Venerabilis 37. de Præbend. Glossa in c. 1. cit. V. Ampliori; Garcias de Benef. p. 5. cap. 3. à n. 17. & Azor cit. Lib. 5. cap. 28. q. 2. §. 14.*
12. Excipiuntur tamen, imprimis ea, quæ ad Episcopum devoluta sunt propter negligentiam Prælatorum Regularium exemptorum; cum enim hæc Episcopus conferat, tanquam delegatus Papæ, *Clem. 1. De Suppl. neglig. in illorum collatione legatus se ingerere non potest; quia mandatum generale legati non derogat speciali, quod respectu talium beneficiorum Episcopus habet, c. Studuisti 2. Panormit. in c. Dilectus 6. n. 6. in fine, Garcias cap. 3. cit. n. 78. & Pirrhing ad hanc Rubr. n. 22.* Contrarium tamen, & ab exemptis devolutorum collationem legato à latere competere, sustinet Palao *Tract. 13. disp. 2. p. 25. n. 7.* quod in collatione Ordinario ex delegatione ab homine tantum, non etiam à Jure facta: & in hac privati-
- vè tantum, non etiam cumulativè se introumittere prohibeatur. Esto etiam cumulativè se introumittere hujusmodi legatus nequeat, ad exemptorum tamen collationem pertinentia beneficia conferre potuit, antequam devolverentur: & potest, si propter negligentiam Episcopi ad Papam devolvantur, Selva *de Benef. p. 3. q. 66. n. 2. §. 5. & Garcias cit. p. 5. cap. 3. n. 32. & 34.* Deinde, beneficia & dignitates electivæ, *c. Deliberatione 4. in 6.* quia id cederet in præjudicium electorum, quibus non facile derogare, sed liberam eligendi potestatem ipse Papa relinquere solet, *c. Cum in illis 16. §. Illi verò de Præbend. in 6. Palao Tract. 13. disp. 2. p. 25. n. 15.* Præterea beneficia, quæ, ex fundatione, dotatione, vel constructione sunt juris Patronatùs laicorum; huic enim juri ipse etiam Papa, si non exprimat non solet derogare, *citt. Garcias n. 63. Barbola cap. 5. n. 63. & Palao n. 11.* Denum, beneficia litigiosa, *c. 1. §. 14. c. fin. Ut lite pend. in 6.* ubi, lite super beneficio pendente, colliganti decedenti, cedenti, aut à litis prosecutione quoquò modò excluso alius subrogari prohibetur, ut ad *citt. Rubr. generatim statuatur à n. 10.* & de Legato à Latere à Rota decisum perhibet Garcias *p. 5. de Benef. cap. 3. n. 57.* Hæc satis certa.
- Dubium autem est primò, an conferre valeat beneficia Monocularia, sive ea, quæ sola ad Episcopi collationem in aliqua Ecclesia, vel quæ ad alicujus collationem unica spectant. Ratio dubitandi est; quòd mandatum Apostolicum de providendo beneficium Monoculare non comprehendat, Archidiacon. *in c. Si pro clericis 8. de Præbend. in 6.* Verum, quia hujusmodi mandatum Ordinarii collationem impedit, non etiam beneficia conferendi potestas competens legato; cum iste cum Ordinario solum concurrat,

M m m m & ab isto







18. in *Clement. 1. V. Locorum, De Suppl. negligent. Zabarella in Clement. cit. n. 12.* Regulæ instar tradit *cit. Garcias n. 28.* Ex qua ipse *n. 29.* à diverso arguit, casu, quò beneficium situm est in provincia, collator verò extra eam residet, beneficium, cuius collatio ad hunc pertinet, aut devolutum est, conferri à legato à latere posse, ut colligitur ex *c. Deliberationi q. §. Prohibemus, ibi, Qui beneficia infra legationē ejusdem habentes, in 6.* ut cum Felino in *c. Postulasti 14. de Foro comper. ad finem, Rocho de Jurepatronat. V. Honorificum, n. 11.* & aliis docent *cit. Garcias n. 27.* & Barbofa *n. 37.*

Neque adversatur ratio deducta in contrarium; quia solum procedit de collationibus, quæ diocesano: non etiam de iis, quæ extraordinariò jure ad Ordinarios aliòsque collatores diocesanos spectant & extraneò jure ipsis accesserunt.

19. Dubium quartò est, an legato à latere beneficia conferendi tempus currat. Ratio dubitandi est; quia in legationis suæ provincie beneficia confert tanquam ejus Ordinarius, *c. Legatos cit.* Ordinarius autem ad beneficiorum collationem jure indultum sex mensium tempus currit, *c. Nulla 2. de Concess. præb. à die notitiæ vacationis c. Quia diversitatem 5. in fine de Concess. præb.* Verùm hoc de Naturalibus ac perpetuis, non de Superinductis & accidentariis ac temporalibus Ordinariis, cum Gambara *cit. Lib. 3. n. 14.* exaudiunt *cit. Azor cap. 28. q. 14. Garcias cap. 3. n. 26.* & Palao *p. 25. n. 9.* Ratio est; quia, si à latere legati collatio semeltri constringeretur, eò lapsò beneficii devolutio fieret ad Papam: quod non fit, hòc ipsò; quòd beneficia in provincia sua ad Papam devoluta ipse valeat conferre, *c. 1. junctâ Glossâ V. Ampliori in 6.* Unde legato à latere beneficia conferendi

tempus non currere, sustinent DD, *cit.* secuti Rotam, illi beneficiorum, etiam ex propria negligentia quodammodo devolutionum collationem adstruentem, apud Puteum *Lib. 2. decis. 226.* & Moched, *Decis. 3. de Offic. deleg.*

Dubium quintò est, an legatus be- 20.  
nificia, certo personarum generi v.g. ex certa familia, stirpe nobili, vel ex certo loco oriundis, Doctoreò gradu insignibus, aut alia qualitate præditis debita, talibus conferre debeat, vel aliis possit. Qua in re Gambara *cit. Lib. 3. n. 24.* utitur distinctione inter beneficia, talibus clericis debita ex fundatione vel privilegio, vel ex sola præscriptione: & si illis debita sint ex fundatione seu prima institutione, vel ex privilegio Apostolico, istorum & illius tenorem ab ipso quoque observandum, & beneficia, quibus eò destinata sunt, clericis ab ipso quoque conferenda, facillè concedit; quòd tam fundationibus, quàm privilegiis derogandi careat potestate: Si autem illis debita ab Episcopis diocesum Ordinariis & aliis sint ex præscriptione, hanc à latere legato non ob stare ait, quò minus beneficia libere aliis valeat conferre; quòd præscriptio fit stricti Juris, atque à casu & persona una ad alteram non extendatur, *c. Auditis 15. §. c. Cum olim 18. utrobique in fine de Prescript. Panormit. in c. Cum olim cit. n. 7. Balbus de Prescript. p. 2. q. 2. n. 11. & Wefenbec, Lib. 1. consil. 34. n. 25.* At esto, posterior hoc ita fit, quando legatus beneficia confert jure concursus, eaque conferendò prævenit Ordinarios aliòsve provincie collatores; aliud tamen dicendum videri potest, quando ea confert jure devolutionis; quòd ista fiat cum qualitatibus beneficio annexis & observandis à collatore inferiore; cum isti, sicut in conferendi jure, sic etiam in obligationibus beneficii collationem

M m m 2



tionem concernentibus succedat, juxta dicta *Tit. 10. n. 38.*

21. Dubium sextò est de collatione beneficii, ab hujusmodi legato facta ei, qui reticuit beneficium, ad congruam sustentationem insufficientis, antè obtentum. Ratio dubitandi est; quòd tali ab Ordinario facta collatio Jure subsistat, ut cum Felino in *c. Ad aures 8. de Rescriptis n. 15.* & Zabarella in *Clement. 2. de Offic. Ordin. n. 13.* agnoscit Selua p. 3. de *Benef. q. 25.* Sed aliud de hujusmodi legati collatione decilum est *c. fin. in 6.* quòd textu talis legati collatio pro irrita habetur. Ratio est; quia, cum à latere legatus beneficia conferat autoritate Papæ, cujus vices gerit, ejus collatio imitatur collationem Apostolicam, quæ subreptitiè impetrata censetur, si prioris etiam tenuis & ad congruam sustentationem insufficientis beneficii antè obtenti mentio non fiat, *c. Proponente 42. de Rescript. c. Non potest 21. & c. Si motu 23. de Prebend. in 6.* quòd Pápa, an & quæ beneficia clerici habeant, plerumque ignoret. Quæ ratio, cum ferè etiam procedat in ejus à latere legato, ab isto etiam facta collatio ei, qui beneficium quodcumque antè obtentum reticuit, irrita erit. Unde hac in re inter ejus & Ordinarii collationem discrimen proditum, istiusque collatio, beneficii antè obtenti suppressione non obstante, pro valida habetur *Clement. 2. cit.* quòd Ordinarius beneficiorum, quæ singuli clerici diocesani possident, notitiam habere præsumatur; atque idcirco ejus provisiones perinde, ut à Papa motu proprio & ex certa scientia factæ, subsistant; licet beneficii compatibilis antè obtenti non faciant mentionem, Zabarella in *Clement. cit. n. 1.* Selua *cit. q. 25.* & aliis DD. relatis Barbosa *cit. cap. 5. n. 55.* Unde
22. Dubium septimò nascitur, an talis legati collatio subsistat, si facta sit motu

proprio; nam & hanc esse validam negant in *c. Si motu cit.* Anchoranus p. 8. & Dominic. n. 4. quòd illi motu proprio beneficia conferendi facultas alio Jure concessa non reperitur, & *c. Si motu cit.* de Papa beneficia conferente loquatur. Sed meliùs cum Glossa in *c. cit. V. Mentis Panormit. in c. Tuam 10. de Retat. & qualis. n. 1.* & Zabarell. in *Clem. cit. n. 1.* affirmant Mandos. in *Cancell. Reg. n. 9. 8. n. 3. & cit.* Barbosa n. 51. cum, quòd legatus à latere non debeat esse decessor, quàm alii Ordinarii, *c. Legatus cit.* non idcirco, sicut hi, sic etiam ipse beneficium habenti, aliud cum eo comparabile, possit conferre: quòd se enixè velle, beneficium motu proprio conferendi, declarat: tum verò; quòd cum talia beneficia conferre Jure non prohibeatur, & *c. Si motu cit.* licet loquatur de Papa legatum tamen non excludat.

Dubium octavò est, an legatus à latere creare possit canonicum supernumerarium, qui in Ecclesia obtineat solum spirituale jus canonice sine jure prebendæ seu fructuum, solasque percipiat distributiones. Ratio dubitandi est, quòd licet nequeat jus ad beneficium vacaturum, *c. Detestanda 2. de Concess. preb. n. 6.* cujusmodi jus canonicus supernumerarius habere videtur. Hæc tamen ratio nihil obstante inter Jura statuentium est discrimen;

Antiquò enim Decretalium Jure, hujusmodi canonicus creati à legato potuisse, ex communi DD. sensu sustinuitur, *c. Azor cap. 28. q. 8. & Palao p. 25. n. 12.* quòd canonici supernumerarii creatio non aliena à Jure, imò huic conformis sit, *c. Cum M. 9. de Constitut. & c. Relatum 9. de Prebend. & cum Episcopo legitime mul & Capitulo competat, denegatur non sit à latere legato; neque ei adverbatur ratio dubitandi; quia canonice, ab*



alio, quàm à Papa, ultra numerum recepto, strictum jus ad præbendam vacatam non tribuitur; cum, si proximè vacans conferatur alteri, collatio Jure subsistat: sed solum acquirat jus implorandi officium judicis, ut proximè vacantem præbendam sibi faciat conferri, & hoc etiam jus non immediatè ex promissione canonica, sed ex ista jam obtenta oriatur, Panormit. in c. Relatum cit. n. 9. & Azor q. cit. §. Quid igitur. Ipse etiam judex imploratum officium suum ei impendere, licet valde conveniens sit, ex obligatione tamen non tenetur.

Modernò autem Jure canonicus supernumerarius creari ab alio, quàm à Papa, non potest, ex Decreto Concilii Tridentini, Expectativas & alias gratias ad beneficia vacatura, etiam aliquale & non strictum jus tribuentes, irritantis, Sess. 24. cap. 19. de Reformat. cui decreto etiam canonici supernumerarii creationem adversari, à S. Congreg. Cardd. Concilii Interpp. declaratum, perhibent Gonzalez in Reg. 8. Proem. §. 1. n. 64. & Barbosa in cap. 19. cit. n. 2.

24. Dubium nonò & magni momenti controversia est, an sedis Apostolicæ à latere legatus in collatione beneficiorum cum Ordinariis diocæsiis etiam concurrat in Germania. Ratio dubitandi oritur ex Concordatis inter Nicolaum V. ex una, & Fridericum III. Imperatorem ac reliquos ejus nationis Principes ex altera parte, inita, ac relata memorati Papæ Constitutione, quæ incipit Ad sacram, Romæ publicatâ Calend. April. 1447. quibus Papa difertè promittit, quòd in mensibus non Papalibus, & beneficiis non reservatione, collationem Ordinariis Reservatione, aliàve quavis dispositione (quò verbo etiam collatio continetur, arg. Regula Cancell. 68. in fine) nequaquam velit impedire. Quam promissionem col-

lationi legatorum à Latere non obflare, existimat Gonzalez ad Reg. 8. Gloss. 25. n. 15. cum; quòd jure legationis etiam ipsi censeantur Ordinarii, c. Legatos cit. quibus laudata Concordata, ut dictum, non obstant; tum verò; quòd Concordata, solum inter Papam, & nationem Germanicam inita sint; ac proinde tanquam res inter alios, quàm legatos, acta, istos non concernant, arg. c. Quamvis 25. de Sent. & re judic. §. l. Res inter C. Quibus res jud. non nec.

Sed rationes istæ non admodum urgent. Prima quidem; quòd in Concordatis nomine Ordinariorum Germaniæ intelligantur Naturales, sive qui tales sunt ratione dignitatis perpetuæ, in ea obtentæ; cum his enim solis, tanquam Principibus Ecclesiasticis, & Imperatore Concordata illa à sede Apostolica inita fuerunt: non ratione accidentariæ & temporaneæ legationis: quos propterea Ordinarios, Superinductos & Non naturales nuncupat Puteus Lib. 2. decis. 345. n. 2. Secunda; quòd cit. Gonzalez n. 16. concedat, per illa tolli gratias Præventivas sive reservationes legatorum. Unde inter Papam, & Nationem Germanicam acta contingent etiam legatos.

Quamobrem cum memorato Puteo cit. n. 2. Laiman in c. Dilectus cit. n. 2. Pirrhing ad hanc Rubr. n. 25. in fine & Engel ad Rubr. de Præb. & dignit. num. 6. Concordata etiam legatorum collationi obflare, ut æquius, sic etiam verisimilius censent; partim quòd res cum Papa acta videatur etiam respectu eorum, qui hunc repræsentant, ejusque vices gerunt; sicut eas gerunt legati, c. 1. c. Volentes cit. qui, si cum Ordinariis adhuc concurrerent, collationes præveniendi studio faciliè præcipitarentur cum damno Ecclesiarum; partim verò; quòd dicta Concordata, quatenus Ordinariis favent, latè inter-

M m m 3



interpretanda, doceat ipsemet *cit.* Gonzalez n. 9. Cassador. *decis. unica de Patris n. 2.* & Simonetta de *Reservat. Benef. q. 99. n. 24.* eò; quòd jus conferendi ipsis stabilendò, reducant ad Jus commune, *c. Cùm ex injuncto 12. in fine de Hæret.* Confirmantur ista exemplò Ecclesiæ Ratisbonensis, cujus in mense Ordinarii vacantis Canonicatus collationem præsens Sedis Apostolicæ à latere legatus non tantùm jure præventionis sibi non vendicavit, sed à Capitulo factam studiosè promovit, teste *cit.* Branden. *in cit. Concordata q. 12. n. 21.*

At, licet hæc de Jure verisimiliora sint, Concordata tamen illa à latere legatorum concursui cum Ordinariis ac præventioni non obflare, in causa Canonicatus Viridunensis à Rota 6. Martii & 19. Junii 1595. resolutum fuit apud *cit.* Garciam n. 42. illius decisiones referentem n. 43. & 44.

25. Quartò, neque solum in beneficiis vacantium collatione suæ Provinciæ Ordinarios prævenire, sed etiam vacatura reservare communi Jure potest suæ collationi, etiam in favorem certæ personæ, datis executoribus ad huic providendum, *c. Præsenti 3. in 6.* quin tamen hujusmodi personæ ad beneficium vacaturum jus quaratur, *c. Nulla 2. c. fin. De concess. Præbend. cit. Pirrhing n. 23.*

26. Hæc tamen legati à latere facultas variè est restringenda. Primò quidem; ut talis reservatio effectum non sortiatur, si ante huiusmodi beneficii collationem eius legatio finiatur; tum enim à constituto executore conferri amplius non potest, *c. Præsenti cit.* Glossa *ibi V. Finitur*, Franc. n. 3. & Selva *cit. q. 66. à n. 44.* Secundò, reservatione beneficii alicuius Ecclesiæ Cathedralis vel Collegiatæ adhuc pendente, sive quamdiu illud alii collatum non est, aliam in ea refer-

vationem facere non potest, *c. cit. 6. Caterum cit.* ubi Glossa *V. Ad collationem*, Franc. n. 1. & Laiman n. 2. ne Ordinariorum potestati nimium præiudicetur: propter quam rationem etiam, si ex pluribus beneficiis, ad unius collationem spectantibus, unum reservari, aliud in eisdem collatoris præiudicium reservare non potest, Laiman *cit. n. 1.* Tertio, reservatione etiam unius beneficii vacaturi, per collationem sortitò effectum, aliam eius non vacantis reservationem, etsi absolute possit, facere tamen non censetur, nisi mentionem faciat primæ; quia, Ordinarium dupli reservatione gravare velle, nisi id exprimat, non præsumitur, *arg. c. Mandatum 38. de Rescriptis*, Franc. *in 3. Caterum n. 3.* & *cit. Pirrhing n. 34.* Quarto, sicut conferre, sic etiam reservare non potest Ecclesiæ Cathedralis Regulares, & Collegiatas, sive earum Præbendas, uti etiam dignitates, quæ in Cathedralibus maiores sunt post Pontificalem, & alia beneficia, sedi Apostolicæ reservata, *c. Quoad translationem 2. de Deliberatione 4. pr. in 6.* ubi Laiman n. 1. *cit.* Garcias *cap. 3. n. 53.* & Pirrhing n. 25. Quintò demum, à latere legatis Jure antiquò competentem, & ad beneficia Vacatura se extendentem potestatem, postquam à S. Synodo Tridentina omnes reservationes, Expectativa & gratiæ quæcunque ad beneficia vacatura, præsertim in favorem, interdictæ sunt, *Sess. 24. cap. 19. de Reformat.* non amplius vigere, cum Gonzalez in *Reg. 8. S. 1. proem. n. 8.* existimat Palao *cit. p. 25. n. 16. in fine* & non obscure innuat Laiman in *c. Præsenti cit. n. 1.*

Quintò, Papæ legatus à latere, ob necessitatem vel evidentem utilitatem Ecclesiæ, commendare beneficia etiam parochialia potest. Non quidem in perpetuum,



petuum; e. *Nemo* 15. de *Elect.* in 6. ex cuius textu, eoque relata & à Gregorio X. in Concilio Lugdunensi edita Constitutione, commenda ab alio quam Paparite facta ultra semestre non durat: sed ad hoc duntaxat tempus; cum enim id, Ecclesie necessitate poscente aut utilitate suadente, valeat Episcopus dioecesis Ordinarius, arg. c. *cit.* ut *ibi* notant Laiman n. 4. & Barbosa n. 4. beneficium ad tempus commendare etiam valebit legatus, in beneficiorum collatione ceteraque potestate Ordinaria cum ipso concurrentis, c. *Legatos* 2. in 6. licet ab eorite facta commenda ipsa quoque ultra semestre non porrigatur; quod, speciali facultate seclusa, communi Juri derogandi careat potestate, *citt.* Gambara *Lib. 4. n. 145.* Azor *cap. 29. q. 7.* & Garcias *Lib. 4. cap. 4. n. 23.* Finito tamen semestri, si Ecclesie necessitas aut utilitas perduret; quod idoneus eius Rector non reperiatur, aut is, quem habet, procul abens sit, illam ad aliud semestre commendare, sicut Episcopus, secundum Glossam in c. *cit.* V. *Durare* Laiman *ibid.* n. 3. & Pirrhing *ad Rubr. de Elect.* n. 30. *not. 6.* sic etiam legatus potest, Rebuff. in *Praxi Tit. de Commend.* n. 65. *citt.* Gambara n. 164. Azor *cap. 29. q. 7.* & Barbosa *cap. 5. n. 58.*

29. Sexto, idem legatus admittere valet resignationes beneficiorum, in manibus suis dimissorum simpliciter aut etiam ex causa permutationis: dummodo fiat mentio qualitatum, de Jure vel stylo curie exprimentarum, Panormit. in c. *fin. de Renuntiat.* n. 4. Flamin. *Lib. 7. de Resignat.* q. 17. à n. 15. & Garcias *citt.* cap. 4. n. 61. & 92. In favorem autem, vel cum pensionis fructuum aut regressus reservatione factas resignationes recipere etiam ipse nequit, Flamin. q. *cit.* à

n. 17. & Barbosa *citt.* cap. 5. n. 7. juxta dicta supra *Tit. 9. n. 63.*

30. Septimo, idem à latere legatus beneficia Ecclesiastica unire, per tradenda *Lib. 5. tit. 31. n. 14.* iis pensiones, perinde ut Episcopus, imponere, assistere provincialium suorum matrimonius, his assistendi licentiam dare, & remittere denuntiationes, in votis & fessorum atque ieiuniorum observatione &c. iis casibus, quibus Episcopi, dispensare, Indulgentias, olim quadraginta, hodie centum dierum concedere potest & alia, quæ attingit Barbosa *citt.* cap. 5. & latissime persequitur Gambara *citt.* *Tract. toto.*

31. Natorum legatorum specialis prerogativa est; quod eorum potestas, cum dignitati adhæreat, diuturnior sit: &, quamdiu ista non dimittitur, illa retineatur, Gonzalez in c. 1. n. 6. Ceterum, quia in exemptos jurisdictionem, aut à censuris absolvendi, uti & beneficia conferendi potestatem, aliis Archi- & Episcopis non competentem, non obtinent, eorum potestas tota pendet ex forma privilegiorum, quibus eorum legatio dignitati annexa, Glossa in c. *cit.* V. *Universas* vel hæc postea aucta, vel quæ ipsorum personis specialiter sunt indulta; sic enim R. mus & Celsissimus Germaniæ nostræ Primas, & Apostolica sedis Legatus Natus, Archiepiscopus Salisburgensis ex hujusmodi ejus privilegiis ab hæresi absolvendi, beneficia in mense Apostolico vacantia conferendi, extra tempora & non servatis interstitiis ordinandi, cum iis, qui tertio aut quarto gradu consanguinitatis vel affinitatis conjuncti sunt, & manuum labore victum quærunt, ad matrimonia dispensandi &c. obtinet potestatem, teste Engel *ad hanc Rubr.* n. 10.

Missis etiam legatis, sive Nuntiis 32. Aposto-



Apostolicis plerumque major potestas competit ex privilegio, sive legationis suae commissione, quam Jure communi; isto enim aliam non habent, quam quod Ordinarii sint suarum Provinciarum, *c. fin. & c. Legatos cit.* &c. quamdiu in his existunt, ab excommunicatione Canonis absolvere possint subditos suos provinciales, *c. Excommunicatis p.* & probabiliter etiam advenas & peregrinos, ob percussorem Clerici in ea factam, excommunicatos; cum etiam isti ratione delicti ejus jurisdictioni subiciantur, *c. fin. de Foro comper. Panormit. in c. Excommunicatis cit. n. 6. & ibi Laiman n. 2.*

33. Dubium est de potestate legati, Missi *Cum potestate legati à Latere.* Inter quem, & verum legatum à Latere, quales hodie solos Cardinales esse, multis DD. allegatis tradit Barbosa *cit. c. 5. n. 3.* nihil interesse, existimat *cit. Garcias de Benef. p. 5. cap. 3. n. 82. Zæsius ad hanc Rubr. n. 15. arg. l. 1. ff. de Tutoribus datis*, sicut Proconsulem & Proconsulari potestate præditum, sic etiam legatum à Latere & cum talis legati potestate Missum æquiparantis. At revera multum interest inter utriusque potestatem; nam, præterquam quod Cardinali seu vero à latere legato potestas à Jure seu Canone, ejusmodi autem Misso, quæ ultra legatos absque tali clausula constitutos potest, competant ex mittentis mandato: præter hoc, inquam, vi generalis suæ deputationis, conferri à Misso non posse beneficia, clarè desumitur ex *c. 1. in 6.* ubi legatis, tam Missis, quam Natis, qui Cardinales non sunt, quantumcunque plenam legationem obtineant, illa conferendi potestas diserte denegatur: cujus textus, uti etiam *Sedes 15. de Rescript. & c. Qui ad agendum 4. de Procurat in 6.* argumentò,

legati Missi, vi ejusmodi generalis clausulæ, probabilis etiam non habent jurisdictionem in exemptos, neque alia, præsertim graviora, veris à latere legatis specialiter competentia de Jure Communi, facere possunt. Neque propterea ejusmodi clausula otiosa est; quia cum ea Missis solito amplior, & quedam, quæ de Jure communi legatis tantum à latere sive Cardinalibus competunt, faciendi potestas concedi & expressi solet in litteris legationis, seu commissionis, Rochus de Curte *de Consuetud. n. 323. Cochier de Jurisdic. Ord. in Exempt. p. 2. q. 2. n. 6. Pignatelli. Tom. 2. Consult. 1. n. 7. cit. Barbosa cap. 5. n. 4. & Engel n. 7.*

Dubium deinde est, an fides habenda sit, legatum Apostolicum se etiam ferenti. Ratio dubitandi de Affirmativa est; quod, sicut delegatio, sic etiam legatio sit aliquid facti: facta autem regulariter non præsumuntur, sed probanda sint, *c. Cum in Jure 31. de Offi. de leg. & l. In bello 12. §. 2. ff. de Capite & possim.* De Negativa autem, sicut quoad à latere legatos; quod Cardinales à Curia aliò, quam legationis circumscribere non soleant: ea autem, quæ hinc consueverunt, etiam in facto constituta præsumuntur, ut *arg. l. Si cui 14. ff. de Annis Legat. tradit Everardus Legat. arg. locò 104. n. 6.*

Utrique huic rationi aliquid tribuendum, & distinctio facienda est inter legatos: & licet à Misso, præsertim si ignota (non illustris) persona sit, exhiberi possit exhibitio litterarum suæ legationis, *arg. l. Unica C. de Mandat. Procep.* quæ habetur, nemini, quavis dignitate conspicuo, si dicat, se cum mandatis Principis venire, idque scriptis non probaverit, credendum: etsi, inquam, res ita cum Misso, aliter tamen se habet cum Ca-



35. cum Cardinale; huic enim se à latere legati munere fungi, etiam non exhibitis litteris, saltem quoad ea, quæ huiusmodi legatis de Jure competunt, aut à Papa committi & concedi ordinariè solent, fidem adhibendam, arg. *can. fin. dist. 97. cum Panormit. in c. Quod super 7. de Fide instrument. n. 5. Felino ibid. n. 8. Et aliis docent Malcard. de Probat. conclus. 140. n. 1. 5. & 8. & Farinac. Prax. Criminal. q. 63. n. 55. & 58.* Si verò extraordinarià, & solitò majori, præsertim circa ea, quæ sedi Apostolicæ specialiter reservata sunt, aut in re magna Juri communi, aut etiam privato præjudicandi potestate se instructum, affirmet, illius fidem etiam ab ipso faciendam, arg. *can. Lellus 18. dist. 63. & l. Unica cit. volunt iidem & Azor cit. Lib. 5. cap. 27. q. 8.*

37. Legati Nati officium, non nisi dimissâ aut amissâ dignitate, cui id est annexum, finitur, Glossa in *c. Præsenti cit. V. Finitur.* Missi autem, & Lateralis officium ac potestas expirat quatuor modis, à *citt. Glossa, & Speculat. §. 8. recensitis.* Et primò quidem lapsu temporis legationi præfiniti, arg. *c. De causis 4. de Offic. delegat. uti etiam finitâ causâ, sive negotiò, ad quod expediendum est missus, Vallenf. ad hanc Rubr. §. & n. 4.* Secundò, egressu ex provincia, animò ad eam & legationem non redeundi arg. *l. 1. ff. de Officio Præs. fid. quod tamen ei sine Papæ legantis facultate non licet, Azor cit. cap. 32. q. 10. & Barbosa n. 88.* Tertiò, morte ipsius legati, iidem *l. citt.* non etiam Papæ eum constituentis, *c. Legatos cit. nisi constitutus esset ad istius beneplacitum; sicut enim hoc, sic etiam ad illud commissâ legatio, morte finiretur, arg. l. Si gratiosè §. de Rescript. in 6. Laiman in c. Legatos cit. n. 1.* Quarto, re-

vocatione Papæ, legato intimatâ, *cit. Vallenf. n. 2.* A Collegio Cardinalium Sede Apostolica vacante, revocari, nisi ex magna & evidenti causâ, non potest, arg. *Clement. 2. pr. de Elect. Glossa in c. Legatos cit. V. Declaramus.*

Ita etiam ejus officium expirare, si provincia legatus alius detur, existimat *cit. Zaccius n. 16. arg. c. Non injustè 14. & l. Si quis 31. ff. de Procurat.* quia, secundò procuratore datò, primus eò ipsò revocatus censetur. Sed alia ratio istius est, & alia legatorum; quia ex pluribus procuratoribus facillè unus ab altero dissentiret, & cum domini constituentis damno alterum impediret. Secus accideret in pluribus legatis; hi enim, cum jurisdictionem habeant Ordinariam, si singuli in solidum deputentur, occurrentes causas & negotia facillè expediunt. Quare Glossa in *can. In Galliarum 3. V. Prætermitti 25. q. 2. Panormit. in c. Volentes n. 8. Imola ibid. n. 6. Speculat. cit. §. 8. n. 7.* legatum priorem ipsâ posterioris missione, si de mittentis voluntate aliunde non constet, non revocari volunt, partim arg. *l. Esti à parte 2. C. de Testament. tutel. secundum quam, secundò tutore datò, non eò ipsò primus revocatus censetur: partim; quòd ab eodem duos judices ordinarios eidem provinciæ dari non repugnet: sicut in eadem diccessi, tam vacante, quàm plenâ sede Episcopali, duos Vicarios generales in solidum deputari posse, supra *Tit. 28. n. 24.* est dictum.*

